

ultra citroque obligant; ergo etiam ex utraque parte exigunt promissionem. Ideoque non sufficit, ut una pars tantum acceptet promissionem alterius, sed insuper requiritur, ut altera quoque pars repromittat, vi cuius illa quoque vicissim se obliget ad matrimonium suo tempore contrahendum; sola enim acceptatio post se non trahit obligationem praedictam. Unde communis fere DD. sententia apud *Laym.* l. c. est, quod *sponsaliorum contractus claudicare non potest*; h. e. ex una tantum parte contrahentium obligare, scilicet tum, quando fit contractus.

1105. Quarto requiritur, ut utraque promissio signo externo vel sensibili sit expressa; quia sine manifestatione aliqua non potest inter homines fieri contractus, nec acceptari promissio; ideoque nec oriri obligatio. *Confirm.* Promissio solo animo concepta ab alio ignoratur; ergo ab illo non potest acceptari. Nec tamen necessaria sunt determinata et sola verba, quia a jure nullibi sola verba determinata sunt; itaque sufficient illa verba vel signa externa, quae sufficienter consensum internum contrahentibus expriment. *Palao* de spons. d. 1. punct. 3. num. 119.

1106. Denique quinto requiritur, ut promissio fiat inter personas jure habiles, scilicet inter eas, inter quas matrimonium aliquando valide et licite consistere possit, pro eo scilicet tempore, quo sponsalium obligatio est adimplenda. Porro ad hanc habilitatem contrahendi requiritur primo, ut mas et foemina contrahentes nullum impedimentum matrimonii habeant, quia cum sponsalia sint promissio futuri matrimonii, ut valida sint, debent esse promissio validi et liciti matrimonii, hoc ipso, quod promissio etiam jurata rei impossibilis aut illicitae non valeat juxta reg. 58. Jur. in 6. Secundo contrahentes debent habere aetatem a jure requisitam, scilicet septennium regulariter completum, ut patet ex c. *Litteras* 4. c. *Accessit* 5. c. *Ad dissolvendum*. 13. l. 4. Decret. tit. 2. de despons. impub. Item ex c. un. in 6. eod. tit. Item ex l. *In sponsal.* 14. ff. de sponsal. Ratio data est n. 1103.

Denique alii ad sponsalia adhuc alias condiciones requirunt, praesertim ut sint libera ab errore circa personam, quia alias deest substantialis consensus. Item ut sint libera a gravi metu injuste incusso, de quo in resol. casuum.

1107. Principium II. Sponsalia duos potissimum effectus habent, scilicet naturalem et canonicum. Primo enim ex justitia et sub peccato gravi contrahentes utrinque obligant ad ineundum suo tempore matrimonium. Ratio est, quia omnis contractus onerosus obligat ex justitia, et graviter in re gravi: atqui sponsalia sunt contractus onerosus inducens mutuum obligationem, et materia est gravis, quia magna injuria infertur alteri, si sponsalia non impleantur; ergo. Ita comm. DD. Arguitur ex can. de spons. 46. can. *de conjugali*. 50. causa 27. q. 2. Item ex c. *Ex litteris*. 10. c. *Requisivit*. 17. l. 4. Decret. Tit. 1.

1108. Secundo inducunt sponsalia impedimentum publicae honestatis, h. e. inchoatam quamdam affinitatem inter sponsum et consanguineos sponsae, et vicissim, vi cuius species quaedam inhonestatis est, in uxorem velle habere consanguineam sponsae, cui quis, licet necdum corpore, animo tamen et promissione conjunctus est. Hoc impedimentum jure novo Tridentini tantum se extendit ad gradum primum consanguinitatis; sessus enim 24. c. 3. de reform. matrim. ita statuit: *Justitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.*

§. III. Resolutiones casuum de essentia et effectibus sponsalium.

CASUS I. De ficta promissione.

Onuphrius, postquam festo encaniorum diu saltaverat cum *Ottilia*, eidem coram multis aliis promittit futuras nuptias verbis quidem claris, animo autem nec promittendi, nec se obligandi. *Ottilia* statim repromittit; paucis tamen post diebus videt *Onuphrium* familiariter agentem cum alia puella, ideoque illum faciae promissionis admonet, qui mox rotunde negat, seriam fuisse promissionem.

1109. Q. I. An *Onuphrius* in conscientia contraxerit obligationem ducendi *Ottiliam* stante ficta promissione? R. Negative: quia promissioni defuit consensus internus; ergo nec fuit vera promissio, nec inde oritur obligatio ducendi *Ottiliam* juxta dicta n. 1102. *Laym.* l. 5. t. 10. c. 10. n. 10. addit: *Si autem puella decepta, damnum aliquod passa est, id ei secundum justitiae aequalitatem compensari debet.* *Palao* de spons. d. 1. punct. 2. n. 2. sub distinctione respondet, quod ficta promissio inducat obligationem fidelitatis, non vero justitiae.

1110. Q. II. An si *Onuphrius* protulisset verba promissoria animo se non obligandi, fuissent vera sponsalia post se trahentia obligationem? R. Sententia affirmativa *Petri de Ledesma* ex eo aliquibus adhuc videtur probabilis, quia obligatio est effectus naturalis promissionis, sicut calefacere est effectus naturalis ignis; ergo sicut posito igne necessario sequitur calefactio, ita posita promissione necessario sequitur obligatio. Contrariam tamen sententiam *Th. Sanch.* dicit esse veriore l. 1. de spons. d. 9. n. 5. et cum eo *D. Bonav.*, *S. Antonin.*, *Sylv.*, *Armilla* et alii, quia velle promittere, et nolle se obligare, non est promittere: ideoque ruit argumentum prioris sententiae, imo potius probat pro secunda, scilicet sicut veri ignis effectus naturalis est calefacere, ita verae promissionis effectus est obligare; exclusio autem obligationis destruit veram promissionem: ergo.

1111. Quid? si quis habeat intentionem promittendi, et se obligandi, sed simul animum non implendi obligationem? R. Talis praeterquam, quod peccet graviter, adhuc vere obligatur, quia vere promittit, et intentio non implendi non tollit obligationem promissionis.

1112. Q. III. An et quomodo peccet fecte promittens matrimonium? R. Peccat, et quidem, per se loquendo, graviter. Ratio est, quia est mendacium graviter perniciosum; decipitur enim alter in re gravi, et adducitur ad repromissionem seriam matrimonii, quod fecte tantum alter promittit. Ita *Sporer* in Theol. sacram. p. 4. c. 1. n. 155. Dixi, per se loquendo; *Sanchez* enim l. c. n. 3. excusat a peccato illum, qui eo pacto fidem daret, ut alter facile colligere posset, jocosè tantum promitti, nec inde damnum aliud sequeretur. Item si quis tantum ex fidelitate promitteret, nec peteret repromissionem, nec aliud damnum oriretur; quia in his casibus non esset mendacium perniciosum.

1113. Q. IV. Ad quid in foro externo teneatur fecte promittens matrimonium? R. Si puella deceptorem apud judicem accuset, et probet, deceptorem verbis promissionem significantibus usum fuisse, hic vero in exceptione fictionis probanda deficiat, compellendus est a judice ad ineundum matrimonium, ut dicitur n. 1119.

1114. Q. V. An fecte promittens matrimonium, et sub spe illius deflorans virginem, teneatur corruptam ducere? R. Probabilius tenetur in conscientia corruptam determinate ducere. Ratio est, quia in contractibus innominatis, do ut des, vel facio ut facias, ubi alter ex sua parte promis-

sum implevit, tenetur etiam alter implere, quamvis fecte contraxerit, eoquod tenebatur ex justitia vere contrahere; ut, si fecte promisi Petro centum aureos, ut eat Romam, ubi Petrus adivit, teneor dare; ergo cum in praesenti casu puella ex parte sua contractum impleverit, dando corpus suum, et deflorator teneatur habere animum implendi, etiam tenebitur contractum implere. *Si dicas*: ergo obligatur ex promissione ficta. R. Indirecte; directe autem ex justitia stricte dicta, qua obligabatur sincere promittere; cum enim post fictam promissionem possit habere animum vere promittendi, et teneatur hunc animum habere, etiam tenebitur eam ducere. Item tenetur ex acceptatione copulae, quae sub conditione matrimonii, et non aliter concessa est. Denique tenetur ex damno illato, pro quo non tenetur decepta aliam compensationem acceptare. *Aliud enim pro alio invito creditori solvi non potest. L. Mutuum. 2. §. 1. ff. de reb. credit. Confirm. l. c. 1. de adult. et stupr. ita statuitur: Si seduxerit quis virginem, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit uxorem*: ergo cum textus utatur particula copulativa *et*, deflorator non satisfacit tantum dotando, sed tenetur eam ducere. *Confirm. 2.* Talis deceptor in foro externo compellitur corruptam ducere, tum ne ex sua malitia commodum reportet, tum ne in commerciis humanis porta fraudibus pateat; ergo etiam in foro interno obligatur ad eam ducendam; cum hoc forum alteri conformari debeat, nisi illud falsae praesumptioni innitatur. Ita plurimi cum *Santh. l. 1. de sponsal. d. 10. n. 3., Palao, Laym., Gobat, Lessio, Pichler* contra *Wistner, Ledesma, Perez* et paucos alios; qui defendunt, quod sufficiat corruptam vel ducere, vel dotare. Quorum rationes scite solvit *P. Kugler* de spons. p. 2. §. 2. q. 3. a. n. 41. h. d. spons. l. 1. de spons.

Idem tamen l. c. n. 44. notat cum citatis AA. deceptorem non obligari ad matrimonium primo, si puella ab eo deflorata etiam fornicetur cum alio; secundo, si puella se jactaverit virginem, et contrarium postea patefiat; tertio, si puella aliam satisfactionem v. g. pecuniariam sponte acceptet; quarto, si ex futuro matrimonio gravia mala et infausti exitus praeviderentur; quinto, si aliquod impedimentum dirimens interveniret. Denique si puella fictionem facile potuit advertere aut colligere ex certis circumstantiis.

1115. Q. VI. An, si puella etiam juramento addito, asserat se a Cajo corruptam, Cajus vero neget, standum sit in foro externo verbis puellae? Respondet *P. Gobat* hic n. 186. *negative*, nisi alia indicia id manifestent, v. g. cubatio in eodem lecto, turpes tactus etc. Imo etiam tunc potius reo juramentum deferendum esset. *Ratio* est, quia actori, sive ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat. L. 2. ff. de prob. Deinde si confessio talis mulieris passim reciperetur, daretur occasio pauperioribus falso nominandi ditiores. Vid. *Brunem., Kon., Kug. l. c. n. 24.*

1116. Q. VII. Ad quid obligetur is, qui defloravit vel impraegnavit foeminam absque ulla promissione matrimonii?

R. 1. Quoad *forum internum*. Si foemina sine *impraegnatione* deflorata, aut corrupta nullum praeterea passa sit damnum, puta, quia flagitium mansit occultum, vel illa praeterea non nubit difficilius, in conscientia ad nihil obligatur foeminae *ante sententiam judicis*. Si vero foemina coram judice sufficienter probet deflorationem vel corruptionem, obligatur ad id in conscientia, ad quod eum judex condemnat, ut eruitur ex c. 1. de adulter.

Quando autem foemina ex violatione passa est damnum, sponte tamen consensit in violationem, rursus violator illi ad nihil obligatur in conscientia: quia, cum consentienti non fiat injuria, foemina quae libere consensit, sibi debet imputare damnum absque injuria illatum. Si vero per vim,

fraudem, metum injuste incussum, ideoque per injuriam ad flagitium induxit, damnumque intulit, tenetur in conscientia ante sententiam judicis resarcire damnum, vel dotando illam congruenter, vel ducendo; quia tum jure divino, tum humano requiritur, ut quis tantum restituat, quantum damnificavit. Ita communis DD. sententia ex c. 1. de Injur. Secus si quis precibus tantum, non vi, vel fraude impetravit usum corporis; per has enim non inferitur injuria.

R. 2. Quoad *forum externum*: Qui virginem veram, vel communiter habitam pro tali corrumpit, et usum corporis injuste impetravit, scil. fraude, dolis, promissis, vi, injusto metu (imo juxta probabilem) importunis precibus, debet a judice condemnari ad illam vel dotandam, vel ducendam, electione penes violatam existente. Vide c. 1. et 2. de Adult., *Laym. l. 3. de Just. t. 3. p. 3. c. 13., Pichler* de spons. n. 9. et seq. Si simul impraegnaverit puellam, praeter dicta, prolem illegitimam impraegnans debet alere.

CASUS II. De signis sponsalia significantibus.

Otto Onuphriae diu sibi familiarissimae tradit anulum, quem illa mox acceptat, dicens: Nunc tandem video, quod serio mecum agas; hucusque enim videbaris tantum mihi illudere.

1117. Q. I. An per hanc traditionem et acceptationem annuli censeantur valide inita sponsalia? R. Per se loquendo, *negative*: quia traditio et acceptatio annuli, alteriusve similis doni potest esse mere gratuita, praesertim si antecederet non egerint inter se de contrahendo. Secus si praecesserint, vel jungantur verba, vel circumstantiae, quae solent in contractu sponsalicio adhiberi; quia tunc merito censi possunt sufficientia signa mutui consensus et contractus sponsalicii. Item dicendum de similibus signis, v. g. quando Cajus dicit Bertae porrigens ei vitrum vini: *Propino tibi in matrimonium*, et illa respondet: *Deus tibi benedicat*: vel si simul jungat manus etc. *Gobat l. 10. n. 69., Reiffenst. hic n. 37.* ubi ait, in Germania plerumque haec signa significare contractum sponsaliticum, maxime si addatur: *Propino tibi in matrimonium. Do anulum in matrimonium etc.*

1118. Q. II. Quenam regulae generales hic observandae sint tum pro foro interno, tum pro externo? R. *Prima regula* est: Pro utroque foro requiruntur et sufficiunt talia verba vel signa externa, scriptura, nutus etc., quibus sponsus et sponsa significant promissionem veram reciprocam de futuris nuptiis, sive signa ejusmodi sint ex propria significatione, sive ex consuetudine loci, sive ex propria voluntate contrahentium; dummodo sponsus et sponsa inter se significant, intelligantque veram promissionem. Ita *Sporer l. c. n. 175., Reiffenst. l. 4. Decret. tit. 1. de sponsal. n. 29.*

Secunda regula: In foro interno principaliter attenditur intentio contrahentium. Hinc quando constat, adfuisse intentionem spondendi inter sponsos satis cognitam per verba vel signa adhibita, quamvis ex se non sufficienter sint expressiva promissionis, vera censentur sponsalia. Ita *Sporer l. c. num. 177.*

1119. *Tertia regula*: In foro externo principaliter attenditur ad verba; hinc Judex Ecclesiasticus, cui de intentione spondentium non constat, debet judicare secundum verba, aut signa intellecta, vel juxta communem modum loquendi, ut expresse habet c. *Ex litteris l. de Spons.* vel intellecta juxta communem modum et consuetudinem loquendi in eo loco, ubi sponsalia sunt contracta. L. *Semper in stipulat. ff. de R. J.* Quare si verba vel signa mutuum promissionem futurarum nuptiarum ex se, aut ex circumstantiis significant, pronuntiabit sponsalia valida: si non significant,

pronuntiabit invalida: si vero adeo dubia sint, ut ex iis non possit conjici mens utentium, juxta *Sporer* hic n. 178., *Gobat*, *Perez* et alios non pro valore sponsalium, quia standum est pro libertate possidentis illam, nisi jus aliquid in contrarium statuatur; sed hic nihil statuit in contrarium quoad sponsalia: ergo. Standum esse pro valore sponsalium affirmant *Tannerus*, *Tamburinus* et alii non pauci, propterea quod communiter doceant AA. ex c. fin. de *Sent. et Re judicata*, in dubio favendum esse valori matrimonii. At R. quae statuuntur in causa matrimonii, hoc ipso non statuuntur pro sponsalibus: ergo a matrimonio universaliter non valet argumentatio ad sponsalia. Eandem regulam tradit *P. Pichler* tit. 1. de sponsal. n. 11. *Si consideratis omnibus maneat dubium, an per verba significetur promissio matrimonii, proferens autem neget, cum intentione promittendi esse prolata, iudex debet illum absolvere, vel ad summum potest illi juramentum purgatorium deferre. Si autem verba ex se clare significant promissionem matrimonii, proferens autem dicat, ea non serio, sed jocosè esse prolata, iudex praesumere debet, serio esse prolata, nisi jocus aliunde probetur, vel de eo satis constet. Si dubium sit, an serio vel ex joco prolata sint, iterum habet locum juramentum purgatorium.*

1120. Q. III. Quenam censeantur esse verba certo significantia sponsalia? R. Sequentia: *Promitto tibi matrimonium; Obligo me ad te ducendum, tibi nubendum, tecum contrahendum matrimonium; Sub fide mea te ducam; Diabolus me rapiat, nisi ducam te; Tu sis futura mea uxor; Quam vere vivo, te ducam etc.* Vide *P. Pichler* l. c.

1121. Inter verba dubia recenset *Kugler* l. c. n. 14. cum *Sanct.*: *Non ducam aliam nisi te*: quia haec verba sensum tantum exceptivum et conditionatam promissionem faciunt: *Si aliquam ducturus sim, ducam te.* Similiter juxta *Pichler* l. c. n. 11. per se sponsalitiâ promissionem non faciunt haec verba: *Tu es mea charissima, thesaurus meus, cor meum; Tu es vel eris mea; Promitto tibi amorem et fidelitatem etc.* quia haec verba saltem in Germania potius tantum sunt amatoria, quibus amasii utuntur.

CASUS III. De Habilitate Contrahentium.

Orestes contraxit primo sponsalia cum Aurelia, deinde cum Aureliana, quam simul impregnavit cum promissione matrimonii.

1122. Q. I. An prima vel secunda sponsalia praevalent? R. Praevalent prima; his enim utpote validis non potest praejudicare promissio, et fornicatio cum sponsa secunda. Vide c. 1. de sponsa duorum. Tenetur tamen *Orestes Aurelianae* resarcire damnum, et natam ex ea prolem alere. Ita *Leonardelli* de sponsal. n. 20. cum *Navar.*, *Soto*, *Henric.*, et aliis contra *Dianam*, *Coningk*, *Palao* et alios; quorum ratio est, quod titulus onerosus, qualem habet sponsa secunda ob traditionem corporis, praevalent titulo gratuito primae. Verum negatur suppositum, quod prima habeat titulum mere gratuitum, utpote quae ex justitia et contractu oneroso se obligavit. Aliqui hic censent cum *La Croix* L. 6. p. 3. n. 74., quod sponsa prima teneatur ex charitate cedere juri suo in tali casu. Ab aliis vero contrarium non improbat, quia quaerere jus suum non est contra charitatem.

1123. Q. II. Quid, si sponsa secunda fuerit soror primae? R. Hoc casu sponsus neutram poterit ducere; non primam, quia cum illa contraxit impedimentum affinitatis per copulam cum sorore habitam: non secundam, propter impedimentum publicae honestatis ortum ex primis sponsalibus cum ejus sorore.

CASUS IV.

Oswaldus promittit Antoniae matrimonium; illa vero tacet, et colloquium alio divertit. Altera statim die Oswaldus Antoniae pinguem arrham offert, quam tamen illa non admittit.

1124. Q. An in hoc casu contracta sint vera sponsalia? R. *Negative*: quia sponsalia sunt promissio mutua, nec ex sola taciturnitate rite semper infertur repromissio, nisi illa vestita sit aliis circumstantiis clare indicantibus consensum; illa enim est quid indifferens ad assensum et repromissionem; et licet, qui tacet, consentire videatur, juxta R. J. 43. in 6., id tamen in re, in qua multa deliberatione opus, et ex qua oritur gravis obligatio, non tenet; unde tacens prudenter praesumitur velle melius deliberare de dando consensu, quam actu consentire. Addit hic *Gobat* n. 70. cum *Sanct.*, quod taciturnitas, sive non contradictio, tunc censeatur signum positivi consensus, quando parentes, audiente nec contradicente puella, dicerent: *Hanc nostram filiam damus tibi in sponsam.* Secus si alius, sub cujus potestate patria non est constituta, ita loqueretur. Ratio, quia si filia non consentiat desponsationi a parentibus factae, ne eorum factum contemnere videatur, mentem suam deberet tunc explicare; ergo, si taceat, videtur consentire.

Similiter sola missio et acceptatio arrhae aut jocalium per se non est signum promissionis aut repromissionis, nisi praecedant aut comitentur verba, aut circumstantiae clarius consensum significantes. Certius signum repromissionis est copula secuta post factam promissionem.

Porro hic notandum, quod *arrha* sit res quaedam vel mobilis, vel immobilis a sponsis, vel eorum parentibus post contracta sponsalia sibi invicem quasi pignus in securitatem futuri matrimonii data; differt a *sponsalitia largitate*, quod haec sit donatio inter sponsos de futuro, facta in signum amoris, non in pignus futuri matrimonii; alias vocatur *jocalium*, *dotalium*, *donum sponsalitiâ*, *donatio ante nuptias*, *mundus muliebris.*

Quaeres, quid sit juris circa arrham? R. *Primo*, licite apponitur sponsalibus, ut patet ex L. 3. et 5. C. h. t. *Secundo*, ubi non obstat consuetudo, post contractum matrimonium restituenda est danti, quae datur quasi pignus, hoc autem praestita satisfactione redit ad dantem. Juxta *Pichler* de spons. n. 20. arrha secuto matrimonio in Germania dicitur manere penes accipientem. *Tertio*, arrha revertitur ad dantem, si juste resiliat. *Quarto*, si vero injuste resiliat a sponsalibus, perdit arrham, ut patet ex L. cit. *Quinto*, si accipiens injuste resiliat, in duplo debet arrham restituere, vel, si ita conventum est, in quadruplo, v. g. si accepit 50. ff., reddere debet 200. *Sexto*, si minorennis dedit arrham, resiliendo non amittit, nec si accipit, tenetur ad duplum.

Quid ergo juris circa jocalia? R. *Primo*, si sequatur matrimonium, manent penes accipientem irrevocabiliter. L. 12. c. de donat. ante nupt. R. *Secundo*, si non sequatur matrimonium sine alicujus culpa, restitui debent donanti, nisi sponsus antea dederit oscula sponsae (et a fortiori si habuit copulam aut tactus impudicos); tunc enim sponsus dimidiam partem amittit, et sponsa eam lucratur. L. 15. et 16. c. eod. tit. R. *Tertio*, si ex culpa donantis non sequatur matrimonium, res donata manet penes accipientem; si ex culpa accipientis, redit ad dantem. L. 15. l. c.

1125. Ad plurimos alios casus de sponsalibus resolvendos observa sequentia! I. Probabilius ordinarie septennium pro sponsalibus requisitum debet esse physice, sive de momento ad momentum, et non tantum moraliter completum; quia Jura requirunt septennium completum, c. 4. et 5. de despons. impub.; atqui completum non est, si vel una dies desit: ergo.

Ita plurimi cum *Sanch.*, *Palao*, *Illsung*, *Wagnereck*, *Wiestner* contra *Bonac.* et alios.

1126. II. Sponsalia per parentes pro infante contracta hunc puberem factum regulariter non obligant. Ita plurimi cum *Sanch.* L. 4. n. 3., *Laym.*, *Oberascher.*, *Pirrhing*, et aliis contra *Navar.*, *Sotum* et alios. *Prob.* 1. ex c. unic. XXX. q. 4. Item ex c. un. §. fin. de despons. impub. in 6., ubi statuitur, quod sponsalia pro filiis absentibus aut ignorantibus contracta, hos non obligent, nisi eadem postmodum libero suo consensu ratificaverint; ergo idem dicendum est de sponsalibus, quae pater contraxit pro infante. *Nec obstat* c. 1. de despons. impub. in fine, ubi de filio in infantia desponsato dicitur: *Postquam filius pervenerit ad perfectam aetatem, omnino debet hoc adimplere.* Indicatur enim tantum debitum decentiae, si causae gravissimae patris has nuptias deposcerent, non autem debitum praecepti.

1127. III. *Valida* sunt sponsalia sine consensu parentum inita, quamvis ordinarie *illicita*. *Prob. prima pars.* Quia filii in eligendo vitae statu sunt sui juris ac libertatis, nec a parentibus per se loquendo impediri possunt: ergo per se valide ineunt sponsalia, invitis vel inconsultis parentibus. *Sanchez* L. 4. d. 23. n. 10. *Laym.*, *König* de sponsal. n. 47. *Confirm. Trid.* sess. 24. c. 1. de reform. matrim. anathemate ferit dicentes, *Matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse.* Ergo cum matrimonia sine consensu parentum inita sint valida, etiam valida sunt sponsalia, cum in his nihil obstet. *Prob. etiam secunda pars.* Quia pietas et reverentia parentibus debita exigit, ut filii in re tam ardua eorum consilium petant, quamvis illud sequi non semper debeant, si justam causam habeant non sequendi: ideo per se loquendo saltem peccant venialiter ex defectu reverentiae debitaе, et ob concurrentem contemptum parentum; saepius autem graviter delinquunt, si gravis contemptus interveniat, vel si justas parentum causas contradicendi, et impediendi talia sponsalia, v. g. ob gravia mala ex eius oritura, negligant. Ita *Leonard.* hic n. 19.

1128. IV. Sponsalia personae catholicae cum haeretica *communiter* sunt illicita et invalida. *Prob.* Matrimonium inter tales ob periculum perversionis sive conjugis, sive liberorum in fide et moribus est illicitum, ut patet ex c. 16. XXVIII. q. 1. desumpto ex Concilio *Agathensi*, ubi ita habetur: *Non oportet cum hominibus haereticis miscere connubia, et vel filios, vel filias dare, sed potius accipere, si tamen se profiteantur Christianos esse futuros et Catholicos.* Idem habetur ex Concil. *Chalcedon.* et *Laodicensi* apud *Sanch.* Ergo talia sponsalia sunt de re illicita, ergo nulla; alias, si valerent, deberent obligare ad illicitum, quod repugnat juxta c. fin. de pacto, et c. 18. de jurejur. *Pichler* h. t., *Gobat*, *Sporer.* *Nec refert*, quod ejusmodi matrimonium sit validum, ut probat consuetudo; potest enim illud contrahi, etiamsi non praecesserint sponsalia.

Dixi: *Communiter sunt illicita et invalida*: conditionata enim sponsalia, si pars acatholica se converterit ad fidem catholicam ante contractum matrimonium, licita sunt et valida; item si concurrant sequentes conditiones. 1. Ut absit periculum perversionis personae catholicae libere permittatur vivere in sua Religione. 2. Ne impediatur educare proles ritu catholico, unde *Gobat* t. 9. n. 221. impia et nullo casu licita dicit esse ea pacta, quibus conjux catholicus promittit aperte vel occulte, se permittiturum, ut quidam ex filiis nascituris educentur in fide catholica, quidam in acatholica. Num. tamen sequenti idem *Gobat* cum *Tannero* ait, eo casu videri licitum adjicere cautionem, ut saltem aliqua pars prolium catholice educetur, si tale matrimonium catholicae cum haeretico multum momenti

habiturum esset ad promovendum bonum publicum, nec tamen via aut ratio suppeteret, qua a marito posset impetrari libera facultas omnes proles catholice educandi. 3. Ut catholicus vel catholica non facile possit invenire conjugem sibi parem et competentem. 4. Ut ille, cum quo matrimonium contrahitur, non sit haereticus denunciatus, aut notorius percussor Clerici. 5. Ut in loco, ubi contrahitur, passim vigeat consuetudo sic contrahendi absque scandalo. Ita *Kugler* de sponsal. n. 116. cum *Arsdekin* et *Lessio*.

1129. V. Sponsalia debent esse circa determinatam personam. Hinc non essent sponsalia inductiva impedimentum publicae honestatis, si Titius promitteret, se unam indeterminatam ex tribus sororibus ducturum: sicut enim matrimonium non potest contrahi, nisi cum una determinata; ita nec sponsalia, quae sunt via ad matrimonium. Tenetur tamen vi simplicis promissionis unam ex iis accipere, quae sibi prae aliis placuerit. Si Titius unam ex iis seligat, sed haec renuat, non tenetur ad aliam ex illis ducendam, quia, quantum in ipso est, satisfecit promissioni.

1130. VI. Ad sponsalia requiritur libertas formalis et directa, ideoque promissio ebrii aut amentis, licet prius praevisa, non constituit sponsalia, quia actiones in ebrietate aut amentia factae nec sunt deliberatae, nec actiones humanae; ergo carent conditione essentialiter requisita ad sponsalia. *Illsung.* t. 6. d. 1. n. 14. *Confirm.* 1. Juxta c. *dilectus*, de spons. furibundus matrimonium contrahere nequit, quia cum furibundo non potest intervenire consensus legitimus: ergo a pari. *Confirm.* 2. Votum sive promissio Deo facta requirit libertatem directam: ergo etiam promissio homini facta. Affirmat tamen *P. Kugler* l. c., quod sint valida sponsalia, si Titius ante ebrietatem sibi praesens dicat: *Promitto tibi matrimonium, si in ebrietate dixeris, quod velim te ducere;* quia haec promissio jam est ante ebrietatem, ideoque immediate libera, quamvis tantum conditionata; verba autem in ebrietate postea prolata non sunt ipsa promissio, sed impletio conditionis adjunctae; sicut si quis voveret abstinere a vino, si in ebrietate percusserit proximum, subsecuta percussio non est ipsum votum, sed conditio voti.

1131. VII. An valida sint sponsalia ex metu gravi, injuste et ad sponsalia extorquenda incusso contracta, utrinque a TT. et Canonistis defenditur. Valida esse affirmant *Lessius* de J. et J. L. 2. c. 17., *Haunoldus* super tit. de sponsal. n. 21., *Henriq.*, *Wiestner* et alii; eoquod nec naturali, nec positivo jure irritentur. Negativam tenent *Sanch.*, *Laym.* L. 3. t. 4. c. 6. n. 3., *Palao* de sponsal. d. 1. punct. 2. n. 6., *Engel*, *König*, *Wex* in suo opusc. Canon. Trid., qui dicit, hanc esse communem Pontificii Juris Interpretum. *Ratio* hujus probabilioris sententiae est, quia nequit dari obligatio ad actum omnino invalidum et illicitum; atqui matrimonium ex ejusmodi sponsalibus in initum esset actus invalidus, quia metu in sponsalium obligatione incusso extortus: ergo respectu illius non potest dari obligatio. Juxta hanc sententiam talia sponsalia non trahunt post se impedimentum publicae honestatis. Plura in Theol. Scholast.

1132. VIII. Pariter inter AA. controversum adhuc manet, an contractui sponsalium apponi possit conditio poenalis, v. g. ut pars *injuste* resiliens pendat centum aureos. Affirmativam ut probabiliorem tenemus cum *Laym.* L. 5. t. 10. c. 1. n. 8., *Gobat* t. 10. n. 173., *Pichler* de spons. n. 22. contra *Sanch.*, *Tannerum*, *Kugler* et alios; tum quia appositio et exactio poenae non officit verae libertati matrimonii; qui enim non habet causam justam resiliendi, mortaliter peccat, si resiliat: ergo jam privatus est aliunde libertate resiliendi, utpote qui sub mortali obligatus est stare